

in primo loco: postquam conversus à te fuero, agam pœnitentiam; id est, interprete D. Smidio; ubi tu conversionem in me operatus fueris, tum demum sequetur hic effectus, ut me pœniteat, cum ego hunc effectum mihi met ipsi prestare nequeam, quicquid etiam fecero. Notat enim verbum *נחמת* ipsam pœnitentiam, non tantum pœnitentiæ fructus. Quid vero sunt omnes Psalmi Davidis pœnitentiales, è quibus præcipuè trigessimus octavus peccatorum atrocitatem ad horrorem usque describit & deplorat, quam preces pro suimet conversione? Quas dum fundebat, nondum conversus, nondum fuerat regeneritus, quippe qui regenerari & converti primum petebat. In novo vero Testamento publicanus, antequam descenderet justificatus in domum suam, pulsavit pectus suum, confessus est peccata sua, precesque fudit ad DEUM pro sui conversione, dixitque: *DEUS, propitius esto mihi peccatori*, Luc. XIIII. 13.

XIIX. Horum exempla hodieque sequitur V. universa, quæ patet, Ecclesia nostra. Nec enim ulla ullibi Ecclesia erit, quæ non abundet libellis, hominem ad veram pœnitentiam & peccatorum agnitionem, fidemque deducantibus. Comparent in iisdem preces, pro vera pœnitentia à DEO impetranda ad DEUM directæ. *Gebett umb wahre Buß und Bekehrung. Gebett umb rechtschaffenem Erkântnuß und Bereuung der Sünden. Gebet umb Erkântnuß dertjenigen Sünden / die wir nicht einmahl vor Sünden halten wollen / similesque.* Est cuilibet hominum statui velut ex ipsius genio & indole insita de certis quibusdam peccatis persuasio, illa non ita comparata esse, ut eum statum, in quo vivant, qui iisdem addicti sunt, dedeçant, saltem in illis, qui eo in vitæ ordine versantur, sine peccati mortalis & damnantis reatu tolerari possint. Ita mercatoribus plerumque persuasum est, quocunque pretio merces vendere possint, & quodcunque ex iisdem captare lucrum, id peccati nomine venire non posse, cum emptori liberum sit, eo, quo velit, pretio rem vendendam vel acceptare, vel à contractu desistere. Ita Advocatis in foro frequenter persuasum est, causam quamlibet licite defendi posse, quantumlibet vera desint & immota fundamenta, dummodo quacunque juris specie vel præjudicio nitatur, cum judici incumbat, in rationum momenta inquirere & deprehensa rationum infirmitate adversus defensorem pronunciare. Ita iis, qui in grandi dignitatis fastigie

stige